



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

31 Commemoratio defunctorum in reductionem Missarum semper
facienda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

stantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur; ideo sancta Tridentina synodus cupiens hæc ad pios usus relicta, quò plenius, & utilius potest impleri, facultatem dedit Episcopis, ut in synodo diocesana, itemq; Abbatibus, & Generalibus ordinum, ut in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut

31 eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ipsa ad pios usus reliquerunt, ut in cap. 4. de resor. sess. 25. & hic de pluribus dubitatur.

32 Primò, ¶ an facultas Episcopis, Abbatibus, & ordinum Generalibus in præmissis concessa se extendat etiam ad inferiores, nempe Præpositos, Rectores, Priores, & alios collegiarum aut aliarum ecclesiarum Superiores. At cum sacrum concilium de inferioribus non loquatur, nec nos facultatem huiusmodi ad illos extendere debemus. Et quòd inferiores in ea facultate non comprehendantur, fuit à sacra congregatione declaratum *super eod. cap. 4. §. nec habere. vers. capitulis generalibus.*

33 Secundò, dubitatur, ¶ an dictum decretum extendatur, & procedat tam in Missis testamento, vel legato sine titulo beneficii ecclesiastici relictis, quam in illis, quæ ex fundatione, aut donatione ecclesiarum, seu altaris celebrari debeat. Et, quamvis eadem ratio militare videatur, & ubi militat eadem ratio, idem jus statui debeat; à verbis tamen Concilii non est re-

cedendum, quòd cum tantummodo disponat super onere Missarum, quæ ex variis defunctorum relictis in quibusdam ecclesiis sunt celebrandæ, & facultas sit restricta, ut ibi, statuere circa hæc, non possunt circa alia quidquam decernere, seu ordinare. Quòd autem ex dicto decreto.

6. 4. non competat Episcopo facultas diminuendi onus à testatore impositum hæredibus pro certis Missis, & anniversariis celebrandis, eleemosynisque erogandis pauperibus, neque in oneribus similibus impositis beneficiatis in fundatione beneficiorum, etiam quòd fructus beneficiorum non sufficiant pro dictis oneribus supportandis, declaravit sacra congreg. *eo. c. 4. in decis. sub tit. Mediolan. & Ravenaten. & melius in §. ex hoc decreto. & §. nec habere.* Cum enim ¶ agatur de commutatione voluntatis defunctorum mente fundatorum ad usus pios disponentium inferior Papæ, etiam si sit sanctæ sedis Apostolicæ legatus alterare non potest. *cle. 2. ante med. & ibi gloss. in verb. sedis Apostolicæ. 1. & Abb. n. 3. de relig. dom. Felin. in c. cum accessissent. n. 17. in fin. de constit. & Graff. decis. aur. par. 1. l. 2. c. 53. n. 11.*

Episcopi ¶ enim non possunt dispensare contra constitutionem beneficii, vel ipsam immutare, aut contra eam venire, sine consensu patroni, ita quòd, si in institutione beneficii collatio est facienda presbytero, non potest Episcopus sine consensu patroni dispensare, ut non presbytero conferatur. *Innoc. in c. fin. de cler. non resid. & post. Ant. Abb. Imol. & Dom. tenet Felin. in d. c. cum accessissent. n. 17. vers. & per hoc dictum, de const. de consensu tamen patronorum possunt ex proxime allegatis, & deductis novissime per*